

*paulatim evanescit, ut tandem in tenebras abeat.* Quare jam olim de Graecorum philosophis bene meriti sunt, qui historiam eorum conscripserunt, praeter ceteros a Joan. Jonfio integro libro recensiti. Idem Romani, non tantum in magnorum Imperatorum, sed & in Grammaticorum, Oratorum, aliorumque doctorum virorum memoria conservanda imitati sunt, de quibus lege sis Vossium in Arte historica C. VII. Voverium Polymath. c. 12. & Morhofium Polyhist. L. I. c. 19. Taceo recentiorum scripta literaria, quorum hodie non inopia, sed multitudine propemodum laboramus.

## II.

Vix vero ullum genus scriptorum crebrius labi ac errare videas, quam eorum, qui universalem quandam biographiam vel historiam literariam tradere aggrediuntur. Vnde non contemnenda videtur eorum industria, qui in unius tantum ordinis, vel aetatis, vel loci, viros eruditos diligentius exponendos omnem operam & curam conferunt. Hoc animo eruditorum Hispanorum notitiam praeter ceteros dederunt Andreas Schottus & Nicolaus Antonius, Gallorum Andreas du Chesne, Scaevola Samarthanus, Carolus Peraltus, Anglicorum Joan. Lelandus & Balaeus, Danorum Albertus Bartholinus, Suecorum Joan. Schefferus, Polonicorum Simon Starovolscius, Hungarorum David Czvitingerus, Italicorum Joan. Imperialis, Paulus Jovius, Sicularum Petrus Carrera, Hieronymus Ragusa, & novissime Antoninus Mongitorius, Belgicorum Albertus Miraeus, Valerius Andreas Disselius & Franciscus Swertius. Sed & praeterea singularum gentium ac civitatum Germaniae eruditos nonnulli ex instituto sibi describendos sumserunt, ut Westphalorum David Chytraeus & Joannes Ca-

feli-